

### III.

## REGNUM MORTUORUM.

Nro. 14.

---

Elysium-Meum, Die Veneris, 9. Mar. 1810. (Neov. 20. Feb. 1810.)

---

B o n a O m i n a .

E x s p e c t o r a t i o .

De futuris contingentibus.

Gaudete de vita. —

**T**andem eo loco sumus, quo dudum nos pervenisse oportuit — in statu naturalis, politici, physici & oeconomici situs nostri — Anglicana auctoritas, quæ ad hoc tempus quietem nostram turbavit, atque commercialibus suis bellis nos implicuit, ab Europa exacta, ejecta, exterminata est. M. Britannia in præsentis temporis articulo in iis versatur adjunctis, in quibus quovis terrestriæ pacis tempore versabatur — principium initio mox Gallicæ revolutionis adoptatum: Anglicæ non amplius negotiorum Continentis curam esse debere, quavis horum pacis tractatum occasione magis stabilitum est. Beata patria, & felix Europa! si Anglici Ministri futuram pacem tractaturi illud ut basim tractandorum secuturi: Angliæ usque pristinæ auctoritati in hoc argumento nuncium mittendum esse, quo Gallicæ præponderantia duraverit. „At at: Superi viridesque Dii! unde Coffeam, unde sacharum, species pharmaceuticæ unde, unde ligna tinctoria, unde gossipina Anglorum

textæ, accipiemus? — viden! hæc Jeremia-  
des, consuetudines in medium producentur  
Omnibus his carere — possemus. In vicem ma-  
lefaustæ Arabiæ fabæ hodie sapidum vale-  
tudinæ conducementum habemus Cyperum esculen-  
tum, rapum, fabas & ex his confectam  
coffeam, ceu surrogatam; aut quod adhuc  
melius spirituosam cerevisiarium aut vinace-  
um jusculum; in locum Sachari præsto est  
apum labor, mel, sacharum ex rapulis edu-  
ctum, latinæ pharmaceuticæ Culinæ copiam  
surrogatorum substituere possumus. Jalapæ  
Cremor Tartari, piperi & Zingiberi Capticum  
seu Papiræ surrogari potest, supetunt por-  
ro domestica aromata, ut: allium: cepa  
Absinthium & Valeriana cruda, quæ surro-  
gata omnia nec citius nec serius ad stygis  
undas nos expedient. —

Quid, amabo, antenati nostri, (probi  
& honesti viri) ante annum 1492 ante *Chri-  
stophori Columbi* detectionem, quid ante 1468  
ante *Barth. Diazzo* detectionem Promontorii  
Bonæ spei & ante 1521 quo *Vasco de Goma*  
viam in Indias orientales perfecit, quid in-  
quam egerunt? — hodie naturali, physico &  
nobis adcommodato statui restituiamur. *Gau-  
deamus in Domino.*

Continens una cum Germania nostra  
ad naturalem statum suum, germanamque  
naturam suam armis deducta est. Nulla am-  
plius bella probabilia possibiliaque sunt; sæ-  
vas Mars, atroxque Beltona exulabit, nullas  
deinceps illocationes legionum, nullas requi-

sitiones militares, exactiones, heu acerbas! perferendas nullas habebimus; quisque Status Continentis lætus, & jucundus erit, gaudebitque nullum cum secundo successu bellum in Contiente gerendum sibi; arma nostra nullus conteret hostis amplius, nos inermes iis, nos metemus, & in iis deambulabimus, expertes metu, anxietate omni soluti — Aurea tempora, Saturnia sæcula in limine sunt, congaudete mecum fratres! exultate lætamini in Domino!

At orbe divisus Britannus quid: gaudio exilientibus respondere poterit? — audite. —

„Contra, Spes Britannicæ in alia orbis parte, æque splendidae sunt, quia imo splendidiore, quam fuerant unquam — Pæc hodie inœunda, liberum cum tota australi America commercium stabilendo sibi esset, quæ relatio summæ auctoritatis non modo ad industriam M. Britannicæ, verum & totius Europæ esset. At etiamsi fieri posset, apud viros, qui hodie habens Angliæ moderantur, aut apud eos, quos iis paullopost admoventos summe probabile est, aut apud eos, qui his mox successuri, si inquam fieri posset, ut apud eos tam claræ notiones, de eo, quod felicitatem patriæ olim promovere posset, præsumantur, attemen a persona hodie sæptum Eduardi Conf, tenentis nequidquam consilium exspectandam est, quod niteretur in negotiis Continentis ingerendi renunciationem.

Intrinsecæ Angliæ negotia Crisi adpropinquant — Postremum seu ita dictum Can-

Anglicanum Ministerium a Systemate Circumspectionis, quod Anglicanum secretum conclave curavit, recessit; volebat ut triviali modo eloquamur, volebat Clavis rem decidere, immolavitque 60000 Anglos solum, Europæque probavit: Angliam si prudens esse cupit active in Contiente agere nullo tempore amplius debere, eo propudioso soluto rex ex veteris rudibus ejus novum prodire jussit, ne factioni Grenvilliano — Greyanae quæ ob Catholicos Hybernos defensores scandalo ei est, in manus incidat. Jam hic videre fuit virum qui omnium oculos in se convertit: *Marchionem de Wellesley.*"

Inclitus factis in Ostindia, in qua opus Lordii Cliré perfecit, idque politicis magis mediis, quæ quidem nonnihil machiavellisticae erant, quam armorum vi, tum processu celebri, quem expropter per annos coram Curia superiore subire debuit, at triumphabundus abiit — quo relato, Wellesley cuius partium studio alieno eminens virum consummatae experientiae & singularium mentis dotum se exhibuit. — Accedit eum ipso illo tempore quo manus in ministerio ei delatum in theatro fuisse, in quo solum Anglicanum regimen agere adhuc posse existimabat. Viderat ipse suis oculis focum Insurrectionis hispanicae, aliquanto tempore ipse *miserrima vidit, & pars magna fuit*, quare callere debet, quæ post de eo restet. Talem virum nominæ & auctoritate nobilem, Anglicanis negotiis præesse Politicis utique summe memorabilis even-

tas sola cogitatione fuit. — At vero quævis hæ præclaræ dotes; quibus secundum hæ dicta talis vir præditus censeri debuit, ex quo eminenti huic stationi admotus, de integro ei denegantur. Pagine oppositionales eum superficialem virum vocant, hancque nomenclationem per id definiunt; quod omnem facultatem indagandi ei abnegent, eum omnis impressionis capacem, atque summe credulam virum describant — at ponamus prout probabile est, exaggerata hæc, plensque injusta esse; sæpe motam nihilominus quæstionem repetimus: ut fieri possit, ut maxime idoneus Anglicanus Minister efficaciter agat, veteri sine in secreto Conclavi dominari perseverante, utpote: Prædominio Galliæ in Continente finem imponendi, rursusque amissam auctoritatem in illius negotia recuperandi? Præficiatur Anglicano secreto Conclavi vir militari & politico ingenio suppar ei qui de præsentibus negotiis Continentis moderatur, & finis hujus assequendi incapax erit. —

Sane memorabile est audire rixas membrorum Parlamenti intuitu operationum a Ministris imprudenter adornatarum, quæ in irritum versæ; sunt vero 1) Expeditio in Valchriam. 2) Negotia Hispaniæ, qua tot Angli absque fructu effectuque hanc regionem defendere conati. — Utraque argumentum præbent inanis, sinistreeque in effectum deductæ impensæ Anglicani sanguinis, aeris, & virium — at quæso, an triæ Parliamentares al-

tercationsque infortunium factum infectum reddent? — Interea quo in Anglia lites rixæque fervent, Galli concordes de victoriis lætantur.

Ita seqv. leguntur in Hollandicis paginis in eodem argumento Expeditionis Anglorum adversus Valchriam. —

*Amstelodamo die 17. Feb. Exercitus Brabantiae — Præclamatio. —*

Incolæ Brabantiae, Insularum Selandiae territorique Mosam inter & Scaldim! Majestas Imperator & Rex Napoleo me jussit, ditiosas Mosam Scaldimque interjacentes in militarem possessionem redigere. Quare disciplinae ordinisque amantes copias eo expedio cum mandato, personis, moribus, consuetudinibus vestris honorem impertiendi. Spero vicissim ex parte vestra ea qua, agendi earum ratio digna est, ratione excipienda esse, cujus prævie certos vos reddo. Bredæ 18. Jan. 1810. Subscr. Marschallus Dux Reggus Supr. Copiarum Præfectus."

Collegium legum ferend. nudius tertius propositionem a rege sibi factam, utpote legem de 22. Martii 1809. Nro 5. que *constitutionalis Nobilitas* in regno Hollandiae erecta, revocanda, acceptavit, lexque illa abrogata est.

Hæc igitur prima Antithesis adversus Expeditionem in Selandiam.

Altera respiciens Hispaniam sequente nuncio continetur.

*Madrito 2. Febr.* „Rex Hispaniæ die 20  
erat Exijam Dux Bellunensis Hispalem cum  
copiis ingressus &c.

Litteræ Roma perhibent: *Congregationem  
rituum*, generatim quævis Collegis pontificia-  
lia Rhemos Galliarum, quo Sede etiam Pa-  
pali & Curia Papali transferenda dicitur,  
migratura. Congregationi &c. nihil littera-  
rum Roma amplius expedire licet, ut ad  
præsens in dispensationis & aliis negotiis,  
præcipue ad Episcopales Vicariatus & Ord-  
nariatus in Germania factum est. Pius Col-  
legia e. c. Poenitentiarum, jam Roma decessisse  
ferantur.

*Problema in actu decisum.*

Cur pauciores Aestheticos australis, quam  
borealis númerat Germania?

Vera ratio sita est in stomacho — in  
alimentatione. Australis Germanus bibit vi-  
num suum, non sentit stimulum sibi aliquid  
optandi. — Borealis Germanus cerevisiam po-  
tat, manducat tenuiter — quo fit: ut in eo  
omnes, quæ possunt! adpetitiones vitæ ori-  
antur. — Dum venter crepitat portentosa  
somnia exortantur, proin & ideæ imaginari-  
um bonum adipiscendi, quo Australis Ger-  
manus ad ebrietatem usque tam frequenter  
fruebatur; ex quo concludo: Jejunum sto-  
machum a natura aestheticum esse. Q. E. D.

In hac Typographia Viduae et Hereditarij Mel-  
nayanorum novissime praelum deservierunt.

**Catechismus in usum omnium Ecclesiarum  
Imperii Gallici. Juxta Exemplar, Parisiis  
a. 1806. apud Viduam Nyon, natam  
Saillant, cum Privilegio Cæsareo editum,  
e Gallico in Latinum sermonem trans-  
latus. 8. 1808. 1 fl.**

**Principia Politicæ, & Rei agrariæ &c. latine  
reddita a Volkf. Beke, III. Tomi 6 fl.**

**Schelle Historia Univ. latine II. Tomi 6 fl.**

**Georch Elze) Jus patrium, III. Tomi 5 fl.**

**Högyészi, Doctrina Religionis, R. Catholicæ,  
Pars I. de septem novae Legis Sacramentis,  
de Purgatorio, & Indulgentiis. 1805. 8. 1  
fl. Pars II. de Virtutibus Theolog. Fide,  
Spe, & Charitate, Religione Revelata,  
ac aliis Fidei orthodoxae dogmatibus.  
1806. 8. I fl. 12 xr.**

**Fedor, és Mária, vagy a' holtig-tartó ritká  
hűség, és a' nagyra vágyásból származott  
gyászos, de méltó szerentsétlenség  
tüköre. N. V. Ajtay Samuel által. 1807.  
8. I fl. 12 xr.**

**P. Basilii Alexovics Sermones Sacri, festiva-  
les & Dominicales, V. Tomi 8. maj. 8 fl.  
quavis Tomus separatim a 2 fl.**

**Hertzeg Piripionak tündér története irta Wie-  
land után Magyar Földjeinek mulattatásá-  
ra Fellegváry Agoston. 8. 1804. 36 xr.**

**Wieland, Téli Regi. 8. Posonyban, 1804. 20 xr.**

**Theophron, vagy a' tapasztalt Tanácsadó  
tapasztalatlan Ifjúság hazsnára. 1804. in 8.  
1 fl. 46 xr. Posta papirosra 3. fl.**